



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 30. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Julio et Augusto. — Pretium subscriptionis pro hocce anno contractiore 2 coronae.

### De honore viris doctis debito.

Quanta omnibus temporibus scientiarum fuerit auctoritas, quantus honor literis et artibus, quanta denique etiam ipsis doctis reverentia: et antiquorum et novissimorum temporum quam plurima docent exempla.

Apud Romanos viri docti exterarum gentium, qui in captivitatem et servitatem inciderant, de more non ad operam servilem, sed ad colendas artes<sup>1</sup> liberales<sup>1</sup> et ad pueros litteris instituendos adhibebantur. Quantopere vero hoc non sola utilitatis causa factum sit, vel et inde elucet, quod servos doctissimos manumittere<sup>2</sup> aequae moris erat. Sic, exempli gratia, quis ignorat Phaedrum fuisse Augusti libertum.

Doctorum liberae conditionis auctoritates,<sup>3</sup> quae sunt innumerabiles, omitto alias, non nisi Horatium Flaccum adduco,<sup>4</sup> quem, quamquam humili loco natus esset, non ipsum Augusti, sed imperatorem potentissimum poetae doctissimi constat quaesivisse favores.

Quantum deinde non solum poetarum, sed etiam iuris peritorum et medicorum iam ab antiquis enata per totum aevum<sup>5</sup> medium<sup>5</sup> valuerit auctoritas, satis testa-

tur adagium<sup>6</sup> notissimum: Dat Galenus opes, Iustinianus honores.


Quis denique non videt novissimis temporibus, salvo Galeno et Iustiniano, etiam scientiam physicarum technicarumque nec non et ceterarum artium dare non solum opes, sed etiam honores. Nonne audis quotidie dierum nostrorum adagium:<sup>6</sup> Scientia est potestas!

Hanc legem firmam<sup>7</sup> esse<sup>7</sup> videmus etiam in casu, de quo novissimus adlatus est nobis nuntius. Nuperrime nempe memoravimus doctorem *Robertum Bárány*, professorem in universitate scientiarum Viennensi pro optime de arte medendi meritis *praemio Nobeliano* affectum esse, degere autem eundem *in captivitate* Russorum in Sibiria. Nunc vero fama est virum doctissimum intercedente Societate Crucis Rubrae a Russis ex captivitate liberum domum dimissum esse.

Hunc ergo, cui nescio quamdiu expectandum erat, dum vi armorum liberaretur, liberavit auctoritas scientiae honorque viro docto debitus.

<sup>1</sup> szabad embereknek való mesterség: tudomány és művészet <sup>2</sup> szabadon bocsátani <sup>3</sup> tekintélyes példa <sup>4</sup> felhozni <sup>5</sup> középkor <sup>6</sup> jelszó <sup>7</sup> érvényesülni.





## LECTARIUS MINIMIS.

### De lupo, vulpe et homine.

Vulpes in margine silvae convenit<sup>1</sup> lupum.<sup>1</sup>

*Vulpes*: Salve, lupe! Bonum mane<sup>2</sup> tibi precor.<sup>2</sup>

*Lupus*: Salve, vulpes! Quomodo te habes?<sup>3</sup>

*V.*: Male. Tertio iam die nihil manducavi.<sup>4</sup> Homines adeo anseres<sup>5</sup> suos, gallinas<sup>6</sup> et anates<sup>7</sup> custodiunt, ut mihi fame<sup>8</sup> sit pereundum.<sup>8</sup>

*L.*: Cur non etiam ipsum hominem aggredis?<sup>9</sup>

*V.*: Quia non solum potentior est quam nos ferae, sed etiam me ipsa vulpe est astutior.<sup>10</sup>

*L.*: Ostende mihi hominem; ego eum aggrediar.<sup>9</sup>

*V.*: Expecta paulisper; quotidie hac homo transire solet.

Vix ea dixerat: ecce in via puerulus quidam in scholam cursum<sup>11</sup> tendit.<sup>11</sup>

*L.*: Est-ne forsitan iste homo? — interrogat lupo vulpem.

*V.*: Hic nondum est homo; post quintum decimum modo annum iste erit homo.

Vix puerulus discesserat, miles quidam emeritus<sup>12</sup> ex vulnere accepto claudicans<sup>13</sup> eadem via in oppidum tendebat.<sup>11</sup>

*L.*: Num iste, qui nunc venit, homo est? — quaerit iterum lupo.

*V.*: Iste quidem fuit quondam homo, sed nunc iam non est. Ille vero, quem nunc appropinquare vides, ille est homo. — ait ostendens in venatorem.<sup>14</sup>

Quae ubi dixerat, repente se abstulit<sup>15</sup> dolosa vulpes, lupo autem obvius<sup>16</sup> stetit venatori.

Ubi venator lupum animadvertit,<sup>17</sup> statim sclopetum<sup>18</sup> arripit, collineat<sup>19</sup> in lupum et displodit.<sup>20</sup> Sed quia sclopetum non in maiorem bestiam glande<sup>21</sup> plumbea,<sup>21</sup> sed

in perdices<sup>22</sup> granulis<sup>23</sup> minimis<sup>23</sup> fartum<sup>24</sup> erat, non multum nocuit lupo.

Tum lupo ira incensus magnis saltibus<sup>25</sup> venatorem aggreditur. Venator vero nudat<sup>26</sup> cultrum<sup>27</sup> venatorium<sup>27</sup> et hocce lupo misere<sup>28</sup> verberat.<sup>29</sup>

Vae miserum! Vana eius erat sine viribus ira. Ecce, iam fugam<sup>30</sup> capit<sup>30</sup> in silvam se recipiens.<sup>31</sup>

— Qualem expertus<sup>32</sup> es hominem? — interrogat eum malesalsa<sup>33</sup> vulpes.

— Ad quae lupo: Nunquam ego hominem talem existimavi. Ubi me conspexit, sumpsit a tergo tubum<sup>34</sup> longum, adaptavit eum ori et insternutavit<sup>35</sup> ei tam atrociter, ut sternutamentum illud luminibus<sup>36</sup> me pene privaverit.<sup>37</sup> Hac re vehementer iratus iam iam dilacerabam hominem: sed tum costam<sup>38</sup> splendidam e laevo latere sibi extraxit et hac costa tam dire<sup>39</sup> me verberavit, ut omnes costae mihi con fractae<sup>40</sup> sint. Vae me miserum! Talem ego hominem nunquam existimavi.

<sup>1</sup> találkozott a farkassal <sup>2</sup> jóreggelt kívánok <sup>3</sup> hogy érzed magadat? <sup>4</sup> enni <sup>5</sup> liba <sup>6</sup> tyúk <sup>7</sup> kacsá <sup>8</sup> éhen veszni <sup>9</sup> megtámadni <sup>10</sup> ravasz <sup>11</sup> igyekezni <sup>12</sup> kiszolgált <sup>13</sup> sántítani <sup>14</sup> vadász <sup>15</sup> elhordani magát <sup>16</sup> szemben <sup>17</sup> észrevenni <sup>18</sup> puska <sup>19</sup> ráirányozni <sup>20</sup> elsűtni <sup>21</sup> ólomgolyó <sup>22</sup> fogoly madár <sup>23</sup> apró sörét <sup>24</sup> töltve <sup>25</sup> szökéles <sup>26</sup> kirántani <sup>27</sup> vadászkés <sup>28</sup> nyomorultul <sup>29</sup> elpáholni <sup>30</sup> megfutamodni <sup>31</sup> visszahuzódni <sup>32</sup> kitalasztalni <sup>33</sup> gonosz májú <sup>34</sup> cső <sup>35</sup> beletüsszenteni <sup>36</sup> szemévilága <sup>37</sup> megfoszt <sup>38</sup> borda <sup>39</sup> kegyetlenül <sup>40</sup> összetörni.

## Differentiae etymologicae et prosodicae.

*Fide*,<sup>1</sup> sed ante vide; qui fidit, nec bene vidit, Fallitur: ergo vide, ne capiare fide.<sup>2</sup>

\*

*Fide*<sup>1</sup> parum, sed multa vide; nam multa videre

Saepe iuvat; multum fidere saepe nocet.

\*

*Forfice*<sup>3</sup> sartores, tonsores forpice<sup>4</sup> gaudent, At faber ignitum forcipe<sup>5</sup> prensat opus.

\*

<sup>1</sup> bizni <sup>2</sup> bizalom <sup>3</sup> szabóolló <sup>4</sup> nyíróolló <sup>5</sup> fogó



Forfice<sup>3</sup> fila, pilos cape forpice,<sup>4</sup> forcipe<sup>5</sup>  
ferrum.

\*

Forfex<sup>3</sup> filorum, — ceps<sup>5</sup> ferri, — pexque<sup>4</sup>  
pilorum.

\*

Palla<sup>6</sup> tegit pectus; paleae<sup>7</sup> iactantur inanes.  
Pala<sup>8</sup> micat digito; Pallasque Palesque  
coluntur.

Palus<sup>9</sup> acutus inest terrae, stagnantque  
paludes.<sup>10</sup>

\*

Vādimus<sup>11</sup> in terris, in undis saepe vādamus.<sup>12</sup>

\*

Si tibi non est *aes*, adfluctus *ēs*,<sup>13</sup> *ēs*,<sup>14</sup> et acerba.

\*

Ludo *pīla*,<sup>15</sup> *pīlum*<sup>16</sup> contorqueo, *pīla*<sup>17</sup> co-  
lumna.

*Pīleus*<sup>18</sup> est capitis; *pīlus*<sup>19</sup> est coma, *pīlus*<sup>20</sup>  
in armis.

\*

*Pōpulus*<sup>21</sup> in silvis; *pōpulus*<sup>22</sup> reperitur in urbe.  
*Pōpulus*<sup>21</sup> est arbor; *pōpulus*<sup>22</sup> collectio plebis.

\*

*Līma*<sup>23</sup> terit ferrum; portae sunt *līmina*;<sup>24</sup>  
*līmax*<sup>25</sup>

*Cochlea*; *līmes*<sup>26</sup> agri; *līmus*<sup>27</sup> durescit in igne;  
Et *līmis*<sup>28</sup> oculis est, qui transversa tuetur.

\*

*Fīlia*<sup>29</sup> sub *tīlia*<sup>30</sup> nebat *subtīlia*<sup>31</sup> *fīla*.<sup>32</sup>

\*

*Comoedi*<sup>33</sup> *scenam*,<sup>34</sup> *comedones*<sup>35</sup> quaerite  
*coenam*.<sup>36</sup>

\*

Dum favet hora, *cānis*.<sup>37</sup> provecto tempore  
*cānes*.<sup>38</sup>

Grandaevique *cānis*<sup>39</sup> candescunt tergora  
*cānis*.<sup>40</sup>

\*

De *cāne*<sup>39</sup> *cāne*<sup>41</sup> *cānis*; <sup>37</sup> ne *cānes*<sup>39</sup> *cāne*<sup>37</sup>  
*cāne*<sup>41</sup> *decane*!<sup>42</sup>

<sup>6</sup> palást <sup>7</sup> polyva <sup>8</sup> sütőlapát, gyűrűkő fészke <sup>9</sup> karó  
<sup>10</sup> mocsár <sup>11</sup> jární <sup>12</sup> gázolni <sup>13</sup> vagy <sup>14</sup> megeszed  
<sup>15</sup> labda <sup>16</sup> dárda, mozsártörő <sup>17</sup> hidláb, oszlop  
<sup>18</sup> kalap <sup>19</sup> hajszál <sup>20</sup> katonacsapat <sup>21</sup> nyárfa <sup>22</sup> nép  
<sup>23</sup> ráspoly <sup>24</sup> küszöb <sup>25</sup> csiga <sup>26</sup> mesgye <sup>27</sup> agyag  
<sup>28</sup> bandzsál <sup>29</sup> leány <sup>30</sup> hársfa <sup>31</sup> vékony <sup>32</sup> fonál  
<sup>33</sup> színész <sup>34</sup> színpad <sup>35</sup> nagyevő <sup>36</sup> lakoma <sup>37</sup> éne-  
kelti <sup>38</sup> megőszülni <sup>39</sup> kutya <sup>40</sup> ősz haj <sup>41</sup> ősz  
ember <sup>42</sup> dékán.



**Geographica**<sup>1</sup> *curiosa*.<sup>1</sup> Si quis vestrum  
speciales<sup>2</sup> habet tabulas geographicas, cu-  
riosa<sup>3</sup> investigatione reperiet re vera existere  
— quod non solum Hungarice et Germanice,  
sed etiam Latine incredibile sonat — no-  
mina geographica unius litterae, vel re-  
duplicatae eiusdem, vel ad summum dua-  
rum litterarum. Sic exempli gratia:

*U* est nomen oppidi in Tibet in Asia,  
*I* « « loci in Schantung (China),  
*O* « « vici in Normandia prope  
Argenton,  
*Aa* « « 12 fluviis in ipsa Europa,  
*Aa* « « duobus vicis in Europa,  
*Ya* « « fluvii in Norvegia, itemque  
*Ya* « « loci in Africa occidentali  
prope Benne,  
*Oi* « « loci prope Mare Rubrum,  
*Ea* « « loci in Hispania (Biscaya),  
*No* « « loci in insula Sumatra,  
*So* « « fluvii in China.

Quid vobis videtur, pueruli: faciliusne  
disceretis responderetisque an difficilium, si  
omnia nomina tam brevia essent?

(P. F. D. S. J.)

**Quis unquam crediderit** bello ingen-  
tissimo, quod nunc geritur, non solum  
fines regnorum sed etiam ipsam faciem  
terrae permutari posse. Non de fossis in-  
numerabilibus in campis proeliorum ad  
tutandos milites factis, nec de viis eversis  
aut pontibus rescissis hic cogites. Fossae





enim post bellum recomplebuntur, viae pontesque reconstruentur: lacus vero, cuius hic vides imaginem, permanebit servabitque diu huius belli memoriam. Steterat namque in loco huiusce lacus Russorum horreum,<sup>4</sup> receptaculum<sup>4</sup> pulveris<sup>5</sup> pyrii<sup>5</sup> aliarumque materiarum explosivarum.<sup>6</sup> Tormentis<sup>7</sup> autem nostris incensum totum horreum displosum est, et quidem tam incredibili vi, ut non solum aedificiis omnino disiectis, sed etiam ipso fundo evulso, crater exstiterit, quem denique aquae de profundis erumpentes repleverint.

<sup>4</sup> raktár <sup>5</sup> lőpor <sup>6</sup> robbanó <sup>7</sup> ágyú



**Rudimenta<sup>1</sup> militiae.** Bellum orbis terrarum inter alia etiam hoc nos edocuit rudimenta militiae non ad aetatem adultam, id est ad annum rite<sup>2</sup> militandi differenda esse, sed iam in ipsis scholis mediis pueros, qui iam decimum quartum compleverint annum, disciplina militari instruendos esse. In nonnullis gymnasiis itaque iam hocce anno scholastico huiusmodi eruditionis<sup>3</sup> militaris<sup>3</sup> experimenta fiunt, et quidem ad normam a regio Hungarico patriae defendendae Ministerio praescriptam.

**Certamen natandi.** Ex quo bellum durat omnesque iuvenes adulti et sano corpore militiae sunt dediti, gymnica nonnisi scholarum mediarum colit iuventus. In hac re autem valde excellit circulus iuvenum gymnica colentium gymnasii publici, quod est Budapestini in vico-Barcsay.

Circulus iste pridie Idus Decembres in balneario *Rudas* certamen posuit<sup>4</sup> natandi ad quod quicumque per regnum mediorum scholarum discipuli invitati erant. Diversis certandi<sup>5</sup> classibus<sup>5</sup> plus quam 100 nomina dederunt. Principalium certandi classium

<sup>1</sup> alapismeretek <sup>2</sup> köteles <sup>3</sup> katonai kiképzés <sup>4</sup> rendezni <sup>5</sup> versenyszámok,

victores evaserunt: Marcus *Lajta*, Bela *Burián* et N. *Kronberg*.

Dirigebat certamina Edmundus *Toldi*, gymnasii supra dicti quondam discipulus et nunc temporis primus per orbem nator Hungaricus. Qui spectantes aderant frequentissimi, summa cum laude certamina prosequabantur.

## Exempla memorabilia.

**III. Epistolae postumae.**<sup>1</sup> Gabriel *Palotás* et Mathias *Tajti* non solum conterranei,<sup>2</sup> id est viri eiusdem pagi, sed etiam compatries,<sup>3</sup> ad tutandam patriam armis insurgere iussi una in campis proeliorum contra Servianos pugnabant.

Die quodam Gabriel *Palotás* commilitoni<sup>4</sup> compatrique suo Mathiae *Tajti* tradidit duodeviginti chartulas<sup>5</sup> epistolares<sup>5</sup> praescriptas omnes inscriptasque titulo, uti sequitur:

Reddatur mea epistula

uxori *Gabrielis Palotás*,  
coniugi meae fidissimae

in *Pago Szolnokiensi* sub numero 274-mo.

Rogavit simul amicum, ut si ipse ceciderit, unaquaque hebdomade<sup>6</sup> singulam cursui<sup>7</sup> publico<sup>7</sup> committeret. Interrogatus autem, quid sibi hac re vellet, exposuit: nolle se coniugem suam aliquamdiu de fortuita sua morte certiore fieri, persuasumque habere Deum optimum hanc sibi piam fraudem remissurum<sup>8</sup> esse.

Mathiae *Tajti*, qui suaves amici necessitudines<sup>9</sup> familiares<sup>9</sup> bene noverat, satis haec erant.

Obticuerunt ambo, et cum inter se aspicerent, lacrimis utrique palpebrae<sup>10</sup> madebant.

Quarto post die Gabriel *Palotás*, quam praesenserat, ictus<sup>11</sup> glande plumbea, mortem fortium obiit. Mathias *Tajti* autem, sicuti inessus erat, e chartulis amici defuncti unaquaque hebdomade singulam cursui publico mandabat.

<sup>1</sup> valaki holta után való <sup>2</sup> földiek <sup>3</sup> komák <sup>4</sup> bajtárs <sup>5</sup> levelezőlap <sup>6</sup> hét <sup>7</sup> posta <sup>8</sup> megbocsátani <sup>9</sup> családi viszonyok <sup>10</sup> szempilla <sup>11</sup> találva



Post quartam hebdomadem epistula scripta ab uxore Gabrielis Palotás reddenda erat in castris, sed iam non erat, cui. — Alioquin laetissimus inerat nuntius: ante mensem natum esse sibi filiolum; se ipsam matrem et infantem et ceteros quattuor filiolos valere etc.

Quid hic consilii? Remissa est epistula viduae inscriptis, sicuti mos est, rubro colore duobus vocabulis: *Cecidit. — Retro!*

Cecidit Gabriel Palotás: sed hominis rustici tam generosus<sup>12</sup> in suos animus<sup>12</sup> dignus videtur, qui memoriae tradatur.

**IV. De Iosepho archiduce et de gregario quodam milite Szegedinensi.** — Georgius *Bakos* miles gregarius XLVI-tae legionis vulneratus erat in campo pugnarum Italicarum. Locum<sup>13</sup> vulneribus<sup>13</sup> ligandis<sup>13</sup> forte eodem tempore, quo ille eo reportatus erat, inspiciebat *Iosephus archidux*. Hic vulneratum illum misericordiam animo consolabatur deditque ei litteras commendatitias<sup>14</sup> ad praefectum<sup>15</sup> illi nosocomio,<sup>16</sup> in quod miles vulneratus recipiendus erat.

Praecipit simul archidux etiam ipsi Georgio Bakos, ut de valetudine sua interdum nuntios sibi mitteret.

Miles vulneratus demum Szegedinum in nosocomium militare No. IX-mo pervenit, unde praeceptis obsequens per litteras archiducem Iosephum certiore fecit bene se habere. Post nonnullos dies autem reddita sunt ei responsa ab archiduce manu propria conscripta, quae de verbo ad verbum haec sonant:

Dedi in campo proeliorum Italicorum anno 1915-to pridie Calendas Decembres. Magno cum gaudio nuntios recepi, te domum pervenisse et iam reconvalescentem esse. Opto, te valetudine quamprimum reparata omnino sanum revidere possim. Gratias ago tibi pro fauste<sup>17</sup> mihi precatis;<sup>17</sup> ego quidem valeo. Diem de die impetus Italicorum repellimus et fortissima mea legio XLVI-ta valde optime<sup>18</sup> meret.<sup>18</sup> Salutem te tuus summus<sup>19</sup> copiarum<sup>19</sup> dux,<sup>19</sup>

*Iosephus archidux.*

<sup>12</sup> nemes érzés <sup>13</sup> kötözöhely <sup>14</sup> ajánló <sup>15</sup> parancsnok <sup>16</sup> kórház <sup>17</sup> jókívánatok <sup>18</sup> nagyon kitesz magáért <sup>19</sup> hadtestparancsnok

Quid mirum si milites, quorum etiam cum gregariis tam familiaris<sup>20</sup> sit usus<sup>20</sup> summis ducibus, in omnibus pugnis miracula praestant fortitudinis.

**V. De vi famis.** Decurio quidam Germanicus in manus exploratorum<sup>21</sup> Russorum inciderat. Sciebat etiam Germanice unus eorum, cum quo colloqui posset.

— Audi, amice! — ait Germanus — sinite me aufugere; dabo vobis marcam.

— Non possumus. — inquit Russus.

— Ad quae Germanus: Dabo duas.

— Non possumus. — respondet Russus.

— Dabo quinque, dabo decem. — licetur Germanus. Russus autem inflexibilis repetit suum «Non possumus».

— Quot ergo vis marcas vobis solvam, ut me dimittatis? — interrogat eum captivus.

— Audi, amice! — inquit Russus — nihil nobis prosunt tuae marcae: nos immo tibi decem marcas dabimus, si tu nos ad vestros deduxeris. Tertius enim est iam dies, ex quo nihil manducavimus.

\*

Heu, horribilem vim famis, qua coacti milites duri lege laesa suaque sponte in potestatem adversariorum se dederint!

<sup>20</sup> barátságos érintkezés <sup>21</sup> előrs.

## *Anno novo ineunte.*

*Scriptis Iosephus Irsik.*

*O, Deus, qui saeculorum*

*Nectis mille series,*

*Unius Tibi quid anni*

*Laeti vel tristes dies?*

*O, Deus, nobis de vita*

*Anno, qui praeteriit,*

*Agebatur, et agetur*

*Anno, qui nunc incipit.*


*O, Deus, qui arma nostra*

*Fortunabas exito,*

*Anno fortunes novo nos,*

*Hoc Te simplex flagito.*





**Collegium Pium.** Episcopus *Iulius e comitibus Zichy* Quinque-Ecclesiis (Pécs) sumptu adhuc vicies centenorum milium (2,000.000) coronarum novum gymnasium coniunctumque cum eo convictum instituit denominavitque gemina haec instituta in memoriam Pii X-mi papae *Collegium Pium*. Præfecti convictui nec non et magistri gymnasii constituti sunt patres Societatis Iesu et educandae et instruendae iuventutis peritissimi.

Dedicatio<sup>1</sup> collegii novi ab ipso fundatore decimo episcopatus sui anniversario inter celeberrimas sollemnitates facta est.

**Lingua Hungarica** in scholis Austriae. Quantopere ex fortitudine militum nostrorum auctoritas nostra adaucta sit, eius rei id quoque manifestum est indicium, quod nunc demum etiam in Austria lingua Hungarica docetur et discitur.

Viennae e discipulis gymnasiorum scholarumque realium mille et octingenti addiscendae linguae Hungaricae nomina dabant, sed cum non sufficiant magistri huius linguae gnari, hoc anno scholastico praecursoriis<sup>2</sup> modo centum discipulis eam discere licet.

Etiam Pragae in academia mercatoria dehinc linguam Hungaricam discere licebit. Ibidem et universitas Germanica facultatem<sup>3</sup> iam facit<sup>3</sup> studiosis linguae Hungaricae discendae.

**De Servianorum rege Petaro** nulli sunt certi nuntii, nisi quod fama fert eum corpore et animo fractum et omnino desperatum nunc in terra Montium Nigrorum nunc in Albania exulari. Novissima fama est eum iam in Italia hospitio frui regis Victoris Emanuelis.

**In honorem** socii nostri potentissimi magistratus Budapestinensis iam pridem viam, cui antea nomen erat Via Váciana,

Viam Imperatoris Guilhelmi denominari curavit; nunc demum in honorem novorum, Turcorum et Bulgarorum, decreto eiusdem magistratus Viae adhuc Musaei dictae inditum est nomen Viae Sultani Mehmedi, ei autem, quae adhuc dicebatur Via Portitorii,<sup>4</sup> dehinc Via Ferdinandi Regis Bulgarorum erit nomen.

**In plaga<sup>5</sup> Russiae septentrionali** nunc tanta sunt frigora, ut in Mari<sup>6</sup> Glaciali<sup>6</sup> prope portum, cui nomen est Archangelopolis, Americanorum, Francogallorum et Britannorum naves circiter quadringentae, quae Russis praecipue res ad bellum gerendum necessarias importabant, undique glacie obstrictae in mari congelato<sup>7</sup> hiemare cogantur.

**Navis pacis.** Americanus quidam vir locupletissimus, nomine *Ford*, navem suo sumptu instruxit, qua nonnulli pacis amici pacis orbis componendae causa ex America in Europam transveherentur. Advenisse iam Stockholmiam atque inde Codoniam<sup>8</sup> petisse nuntiantur. Quid vero boni de una pacis columba sperare licet, cum compluries centeni vultures rapaces, naves mercatoriarum<sup>9</sup> ex eadem America hostibus nostris importent.

<sup>4</sup> vámház <sup>5</sup> tájék <sup>6</sup> Jeges-tenger <sup>7</sup> befagyott  
<sup>8</sup> Kjöbenhavn (Kopenhága) <sup>9</sup> hadiszer, löszer.



**Milites glandes<sup>1</sup> mittere<sup>1</sup>** discunt, sed res male cedit. Hanc ob rem instructor<sup>2</sup> cohortis<sup>2</sup> iratus misere eis conviciatur.<sup>3</sup>

— Vos stupidi, ait, nihil scitis! Cette<sup>4</sup> sclopetum;<sup>5</sup> ego vobis ostendam, quomodo militem glandes mittere deceat.

Tum sclopetum rite<sup>6</sup> apteque<sup>6</sup> in scopum<sup>7</sup> collineat,<sup>8</sup> displodit,<sup>9</sup> — sed ictus<sup>10</sup> aberrat.

<sup>1</sup> löni <sup>2</sup> örmester <sup>3</sup> korholni <sup>4</sup> adjatok ide <sup>5</sup> puska  
<sup>6</sup> annak rendje és módja szerint <sup>7</sup> cél <sup>8</sup> irányozni  
<sup>9</sup> elsütni <sup>10</sup> lövés

<sup>1</sup> felavatás <sup>2</sup> egyelőre <sup>3</sup> lehetővé tenni



Perturbatur paulisper instructor: attamen statim viam consilii iuvenit et quemdam militum hisce increpat:

— Sic tu glandes mittis, asine!

Tum sclopetum iterum in scopum colli-  
neatum displodit: ictus vero iterum aberrat.

— Sic tu iacularis,<sup>1</sup> bubale!<sup>11</sup> — increpat alterum quemdam militem.

Simili modo deinde tertium, quartum, quintum.

Sexta denique vice ictus<sup>10</sup> forte centrum scopi attingit.

— Sic ego glandes mitto, inquit superbus, sic etiam vos hoc facere debetis!

(Iosephus Radnóti.)

**Pueri bellum ludunt.** Sortiuntur inter se partes<sup>12</sup> agendas: sed nemo eorum vult esse Italus.

Tum qui ludum dirigebat, infelicem quemdam puerum corripiens:


— Te, ait, hodie magister *nequissimum* nominavit; tu *Italus* eris! (C. H.)

**Necessariorum<sup>13</sup> exercitui<sup>13</sup> subvector<sup>13</sup>** ad centurionem<sup>14</sup> signo laudis decoratum:

— Congratulor tibi novissimum hoc decus, *signum laudis*. Num quid putas: ego pro meis meritis qualem decorationem sim assecutus?

— Tu?... Tu mereris *signum fraudis*.

**De globuli<sup>15</sup> granati<sup>15</sup> modis<sup>16</sup> atque textu.<sup>17</sup>** Scriptor quidam et modorum<sup>18</sup> compositor<sup>18</sup> convenerant in campo proe-



liorum et — sicut iam mos est dicere: narrabat de bubus arator, id est scriptor

<sup>1</sup> löni <sup>11</sup> bivaly <sup>12</sup> szerep <sup>13</sup> ú. n. hadseregszállító  
<sup>14</sup> százados <sup>15</sup> gránát <sup>16</sup> zene <sup>17</sup> szöveg <sup>18</sup> zene-  
szerző.


de fabulis ceterisque rebus poëticis, alter vero de modis componendis.

— Ego iam nonum mensem in his fossis dego et iam plurimis interfui proeliis: at horribiles modos, quos globuli granati canunt, nondum mihi componere successit.

— Ego vero — ait scriptor — iam pridem composui textum qui est brevissimus: *Memento mori!*

**Cum Prienem** hostes invasissent, omnes ii, quos saevitia belli incolumes abire sinebat, rerum preciosarum pondere onusti fugiebant. Erat inter fugientes etiam *Bias*, at is solus expeditus. Interrogatus autem a quodam, quid ita nihil ex bonis suis secum ferret: «Ego vero — inquit — bona mea omnia mecum porto.»

Quid mirum? Sapiens ille bona sua, quae non oculis erant visenda, sed aestimanda animo, gestabat pectore, non humeris; domicilio vero mentis inclusa nec mortalium manibus labefactari poterant, nec fugientem deseruerunt.



I.

Media pars pedis est: addita littera fit oppidum Italiae. (Gabr. Papp.)

II.

Cuiuscunque cibi appetitum ego tibi facio: mutata littera prima machinas agito. (Gabr. Papp.)

III.

Scisne dividere? Si scis: divide duodecim in partes duas ita, ut semis<sup>1</sup> evadant septem.

IV.

Exprime Latine unica littera sententiam postulativam! ,



V.

a	b	e	i	l	r	t	u								
a	a	c	d	e	g	i	i	l	o	s	s	t	t	u	u
a	a	c	e	e	g	i	i	m	p	s	s	t	t	u	u
a	a	c	e	e	g	i	i	n	p	s	s	t	t	u	u
a	a	c	e	f	h	i	l	n	p	s	s	t	t	u	u
a	a	c	e	f	h	i	l	n	r	s	s	t	u	u	u
a	a	d	e	g	h	i	l	n	r	s	s	t	u	u	u
a	a	d	e	g	h	i	l	n	r	s	s	t	u	u	u
a	a	e	i	i	l	n	r	r	s	s	t	u	u	u	u

Litterae hisce rubricis inscriptae ita componendae sunt, ut in columnis imparibus deorsum, in paribus vero sursum lectae efficiant nomina, uti sequuntur:

1. faber inferni, 2. atavus aëronautarum, 3. provincia ad Nilum, 4. litterae missiles, 5. flumen Galliae, 6. uxor Collatini, 7. rex Numidiae, 8. philosophus Atheniensis, 9. aliud nomen imaginis, 10. coniurator notissimus, 11. imperator Romanus, 12. mons Spartanus, 13. imperator Romanorum maximus, 14. heros Graecus, 15. vicini Latinorum, 16. rex Phrygiae siti et fame cruciatus. — Litterae initiales, quae erunt supra, dein continuae, quae erunt infra, efficiunt proverbium. (Georg. Szekeres.)

VI.

Dissolvendum ad saltum equulei.


No	bi	to	cent
stul	ia	mi	eo
que	rum	u	rum
	na	lo	

(Jul. Szentmihályi.)

VII.

Supra solum vireo,  
Itidemque floreo:  
Sed sub humo foveo,  
Quae pro fructu praebeo.

VIII.



IX.


Si tu non latro, ego non latro:  
Sed si tu latro, tum ego latro.

Solutiones aenigmatum numeri 1.

I. Mars, ars. — II. Russi, Borussi. — III. Fossa, ossa. — IV. Obulus, Rhenus, Apollo, Epirus, Thetis, Lemnos, Albion, Boreas, Ostium, Rubico, Aeneas. — Ora et labora. — V. Cochlea. — VI. Si vis pacem, para bellum.

Aenigmata recte dissolverunt: Dionisius Pálffy, Keszthely. — Iulius Szentmihályi, Keszthely. — Georgius Szekeres, Keszthely. — Geisa Schwarcz, Keszthely. — Gabriel Papp, Szolnok. — Emericus Burján, Keszthely. — Discipuli V. classis gymn., Kiskúnhalas. — Paulus Lengyel, Budafok. — Iosephus Radnóti, Claudiopolis, — Adalbertus Wertheim, Budapest. — Gisella Tarczay, Zagrab. — Stephanus Klein, Keszthely. — Rudolphus Pospisil, Albae Juliae. — Emericus Klopfer, Budapest.

Praemium Gabrieli Papp sorte obvenit.



Lectoribus benevolis omnibus felix faustumque novum vovet annum moderator. — Omnibus, qui mihi munus moderatoris susceptum congratulati sunt, itemque omnibus, qui boni erga Inventutem animi iudicia dederunt, gratias quam maximas ago. — Complurium litterae subscriptoriae nec non et duorum pecuniae traditae sunt administratori. — His, qui me de notis Germanicis interpellaverant, privatas dedi litteras. — Des. V. Újpest et Iul. M. Szolnok: iam videbimus. — Ios. P. Kaposvár. Certe aliquis latet error; carmen enim eiusdem auctoris et tituli constat e quater octonis, tuum vero Latine redditum ex octo tantum versibus. Alterum, quod percunctaris, nondum reperire potui.

Moderator ephemeridis: JOSEPHUS IRSIK, Budapestini, VIII., Koszora-utca 27. I. 9., ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.